

18. EPIDENDRUM (*Cebolleta*) folio radicali unico, subulato, nodo radica-
to; racemo composito. TAB. CXXXI. Fig. 2.

Planta arborum truncis parasitica innascens. *Radices* teretes, fibrosæ, nu-
merosæ. *Folium* unicum, radicale, subulatum, teres, acutum, interne levi-
ter fulcatum, glabrum, carnosum, inferne digitum crassum, longum pedem
unum alterumve, interdum vel quadripedale; basi abiens in nodum sive tu-
berculum subrotundum, post folii interitum persistens. *Scapus* teres, bipe-
dalis aut longior. *Spathæ* lanceolatæ. *Pedunculi* multiflori. E floribus emar-
cidis conjecti, caractere illos gaudere eodem, quo Epidendrum gaudet car-
thagense. Incolæ appellant *Cebolletas* sive *Bulbillos*; dictisque nodis vel bul-
billis cum sale triturtis externe utuntur magno cum nomine in contusioni-
bus validis, fracturis ossium, aliisque morbis chirurgicis. Tota planta est
saporis expers.

Habitat Carthagenæ in sylvis, præsertim maritimis.

Omnia hæc Epidendra ætate magis minusve cespitosa evadunt, imprimis
vero species minores; radicibusque numerosis super corticibus arborum de-
currunt, affigunturque iisdem sat firmiter. Discrepant quoad floris structu-

ram
ram vehementer ab invicem, & profecto magis, quam quidem inter sese Sa-
tyria Orchides Ophresque. Unde qui multiplicationi generum favet, facile
poterit hæc plantas in plura dispescere, ac per me dispescat licet. Certe
quinque primæ ad idem pertinent genus: sic esto de quatuor ultimis; de
sexta, septima, & octava; deque nona ac decima. Ad has minus commode
reducuntur aliæ.